

Anonymous¹

Manuscript: **BJ 1626, f. 152v-153r**

Sermo de sancto Stanislao

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor dat animam suam pro ovibus suis. Iohannis X [, 11].

Sancta mater Ecclesia duo festa celebrat annuatim in laudem et honorem beati Stanislai martyris et pontificis gloriosi, videlicet passionis tempore pascalis et translacionis sicut nunc sive hodie;

cui verba proposita in themate recte convenient, videlicet: *Ego sum pastor bonus.* [divisio thematis] In quibus verbis **duo sunt notanda**:

<1> **Primo sanctitas** beati Stanislai ibi: *Ego sum pastor bonus.*

<2> **Secundo nota utilitas populi** ibi: *Bonus pastor dat animam suam pro ovibus suis.*

<1> Pastor enim erat beatus Stanislaus Cracoviensis ecclesie, et oves sibi traditas triplici pascebat cibo sive pane, videlicet **pane <1.1> corporali, <1.2> spirituali et <1.3> eternali**.

<1.1> **Primo** pavit oves seu subditos **pane corporali sive materiali**, pauperes, infirmos, viduas et defectuosos et alias sanus [!] sepius reficiendo. Scivit enim seu memorans [**f. 153r**] illud scriptum Isaie [58,7]: *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.*

Et hoc fecit triplici de causa:

<1.1.1> **Primo**, ne similis esset in malicia illi diviti qui pauperis Lazari noluit misereri, de quo habetur Luce XVI [,19]: *Homo quidam erat dives etc. Et erat quidam mendicus Lazarus nomine.*

<1.1.2> **Secunda** causa est, ne suam carnem, id est quemlibet pauperem, claudum, cecum, despiceret videretur. Unde cuiilibet hominum precepit et hodie precipit dicens: *et carnem tuam ne despexeris.* Sed credo, quod multi inter nos sunt qui pauperes despiciunt et ab eis manus et domos suas claudunt. Talibus dicet Christus in die iudicii [Mt 25,40]: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* et presertim quia tales immisericordes sepelientur in inferno cum illo divite epulone de quo prius audivimus et de quo scribitur Luce XVI [,22]: *Mortuus est dives et sepultus est in inferno.*

<1.1.3> **Tertia** causa est, ut pro temporali dono eternum reciperet premium sive retribucionem, id est regnum celorum. Unde Salomon [Prov. 19,17]: *Feneratur Domino qui pauperi tribuit necessitatem.*

<1.2> **Secundo** pascebat oves suas **pane spirituali**, id est sancta doctrina in predicione ad fidem rectam per opera bona populum convertendo. Unde Dominus dicit [Mt 4, 4]: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

<1.3> **Tercio** pavit **pane eternali**, id est corpore Christi, sanos et infirmos reficiendo, annuncians specialiter quod si eis sensus deficit, sola fides sufficit ad hoc venerabile sacramentum. Unde Augustinus: *Crede, et manducasti.*²

¹ Sermon no. XII in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

² Augustinus Hipponensis, *In Joannis evangelium tractatus* 25, cap. 12, PL 35, col. 1602.

Et sic primo patet ipsius sanctitas.

<2> **Secundo** notatur populi Cracoviensis magna **utilitas**, pro quo populo a rege Boleslao est occisus sive interemptus, et Christi vir est effectus, et multa pro Christi nomine sustinuit opprobia et tormenta.

<2.1> Et primo pro **iusticia** quam sibi rex Boleslaus denegavit ab eo ut iustus Abel a Cain fratre est interemptus.

<2.2> Secundo occisus est **pro lege Dei** ut Machabeus ab imperatore.

<2.3> Tercio **pro salute populi** sicut Christus a Iudeis. [b]

<2.4> Quarto **pro fide christiana** sicut sanctus Laurencius et Vincencius.

<2.5> Quinto **pro Christo** ut innocentes ab Herode.

<2.6> Sexto **pro argumentacione peccatorum** ut sanctus Iohannes Baptista propter Herodiadem.

<2.7> Septimo **pro libertate ecclesie** ut Thomas episcopus Cantuariensis.

Sic et pro talibus iniuriis Deo per ipsum Boleslaum illatis passus est sanctus Stanislaus anno Domini LXXIX³ feria quinta post Dominicam ‘Misericordia Domini,’ octavo anno pontificatus sui.

Et vere Deus multis post mortem ipsius decoravit miraculis atque signis, ut qualescumque infirmi suum tangerent anulum vel sepulcrum cum fiducia, mox se liberatos ab omnibus infirmitatibus senserunt.

Decimo autem sue passionis anno corpus eius, prout iusserat, cum maxima reverencia est translatum. Cum vero rex Boleslaus talia miracula fieri audisset, eciam nimio terrore confusus seu percussus a regno suo in Ungariam recessit, deum in Africam, ibique inaudito languore occupatus interiit, et filius vero eius unicus veneno est interemptus, totaque domus Boleslai periit ratione interempcionis iniuste beati Stanislai, prout melius patet in ipsius legenda, quam breviter dicam: Sanctus Stanislaus etc.

³ viz. 1079